



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

271. An Regulares virtute privilegiorum possint absolvere à casibus
Episcopo reservatis? Et asseritur, quod privilegium insertum juri communi
non derogatur, nisi fiat expressa mentio eiusmodi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

seruata, quam sequitur cum aliis Floronus *cap. 5. num. 4.* quod mihi non placet, sed puto prohibere absolutionem à reſeruatis, quod ſuadet. Tum quia id videtur inſinuare particula, *in caſibus à iure expreſſis*, nam, vt colligitur ex *cap. nuper, de ſentent. excommunicat.* Papa non reſeruando ſibi excommunicationis abſolutionem, cenſetur aliis hanc facultatem reliquiſſe. Tum quia Sacerdotes ſeculares ab ea abſolunt, quando non eſt expreſſe reſeruata; ergo & Regulares, ne ſint peioris conditionis. Tum, quia communiffima opinio eſt, ſimplicem Confeſſarium poſſe ab ea non reſeruata abſoluere. Ita pluri- mi citati à Bonacin. *de cenſur. in communi. queſt. 3. part. 1. num. 5.* Floron. *cap. 2. num. 17.* igitur prohibitio reſtringitur ad excommunicationem reſeruata expreſſe. Adeſt etiam exceptio priuilegiorum Religioſis conceſſorum, ſed de his ſufficienter dixi in prima reſponſione. Tum, quia licet nonnulli velint, caſus Papales, quibus in iure expreſſe non eſt facta reſeruatio, dici quoad abſolutionem Episcopales, tamen non eſt hoc verum, ſecundum noſtram opinionem, qui tenemus, vt ſuprà, excommunicationem in iure communi non reſeruata tolli poſſe à quouis Confeſſario, vnde falſum eſt, quòd dicantur caſus Episcopales, quamuis oppoſita opinio eos tales vocet. Demum, quamuis in ſupracitatis decretis ſub Gregor. XIII. & Clemente VIII. mentio fiat de caſibus, quos Episcopi reſeruauerunt, & in poſterum reſeruabunt; nihilominus in decretis ſub Paulo V. & Urbano VIII. ſimpliciter fit mentio de caſibus reſeruatis Episcopis, quibus verbis venit quacumque reſeruatio, ſiue facta ſit à Papa Episcopo, ſiue ab Episcopo ſibi ipſi. Hucusque Bordonus.

2. Sed nouiſſimè noſtram ſententiam amplectitur Auerſa *de ſacrament. Pœnit. q. 17. ſect. 6.* vbi ſic ait. Admitti poteſt, quod aſſerit Diana, ſub caſibus Episcopo reſeruatis in eo decreto, non comprehendi caſus reſeruatos de iure communi, ſed tantum eos, quos peculiaribus edictis Episcopi ſibi reſeruant. Dicitur enim in decretis Clementis, nec etiam à caſibus quos Ordinarij locorum hætenus reſeruauerunt, vel impoſterum ſibi reſeruabunt. Et licet in aliis decretis Pauli & Urbani, abſolutè nominentur caſus Episcopis reſeruati; tamen planè intelliguntur, ſicut in illis decretis Clementis. Hinc inferit Diana, poſſe adhuc Regulares, ſi habebant tale priuilegium, abſoluere ab omnibus caſibus Papalibus occultis, à quibus ex Concilio Tridentino poſſunt Episcopi; quia tales caſus occultis ex hac conceſſione Concilij facti ſunt Episcopales, vt in ſimili confirmat Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 54. num. 27.* Idque videtur veriſimile; quia ſi Pontifex reliquit facultatem ex priuilegio Regularibus abſoluendi à caſibus Papalibus, etiam alioqui publicis; excipiendo ſolum illos, quos diximus, quam tamen facultatem non habent Episcopi: videtur etiam reliquiſſe Regularibus facultatem abſoluendi à caſibus de iure Episcopalibus, ſiue dicamus Papalibus à quibus abſoluendi quando ſunt occultis, conceſſa eſt Episcopis facultas. Niſi tamen eos Episcopi, in ſuis etiam edictis ſub ſpeciali ſua reſeruatione comprehendant, quia tunc ab iis non poterunt Regulares abſoluere, ſicut in vniuerſum nequeunt ab iis, quos Episcopi ſpecialiter ſibi reſeruant. Hæc omnia Auerſa.

RESOL. CCLXXI.

An Regulares virtute priuilegiorum poſſint abſoluerè à caſibus Episcopo reſeruatis?

Et aſſeritur, quod priuilegium inſerui iuri communi non derogatur, niſi fiat expreſſa mentio huiusmodi priuilegij.

Sed in ſ. ultimo huius Reſolutionis adducitur ampliffima derogatio priuilegiorum facta ab Urbano VIII. die 1. Nouembris 1631. Ex part. 11. tract. 2. & Milic. Ref. 9.

§. 1. **P**RO affirmatiua ſententia alibi adduxi Tam- burinum, Quintadnadenam, & Vidalem, nunc autem, & alios adducam. Et idè hanc ſententiam tenet Pater Andreas Mendo in *Bull. Crac. diſput. 23. cap. 4. num. 49* vbi ſic ait: ſam verò Regulares non poſſe abſoluere à peccatis Episcopo reſeruatis, nec item à reſeruatis Pontifici in Bulla Cenæ, aliqui docent. At quod nunc viget amplius, eadem Sacra Congregatio ex præcepto Urb. VIII. die 17. Nouembris, anno 1628. declarauit, prædicta cenæ decreta vim fortè habitura tam intra, quam extra Italiam, prohibens expreſſe ne Regulares virtute cuiuſvis priuilegij abſoluere valeant penitentes à caſibus in Bulla Cenæ, aut Ordinariis locorum reſeruatis. Cui diſpoſitioni ſtandum omnino eſt. concludit Trullench, ibidem.

2. Attamen opoſitum videtur tenendum, & abſerendum, Regulares poſſe abſoluere à reſeruatis Episcopo; Probatur, primò; quia Urb. VIII. decretum ſolum reuocauit priuilegia abſoluendi poſt Tridentinum conceſſa, & concedenda; hoc autem priuilegium ante Tridentinum fuit conceſſum Regularibus, ergo non reuocatur. Maior, & minor conſtant, tum ex tempore quo conceſſum eſt cuiuſmodi priuilegium; tum ex verbo Decreti reuocatori; quæ ab eo Auctore aſſeruntur, & expenduntur. Secundo, quia priuilegium abſoluendi à peccatis Episcopo reſeruatis, eſt inſeruum iuri communi; quod autem ei iuri eſt inſeruum, non derogatur, niſi fiat expreſſa mentio cuiuſmodi priuilegij, qualis non fit in Decreto Urbani; igitur per illud non reuocatur. Maiorem, & minorem tenent communiter Auctores citati ab eodem Quintadnadenam.

3. Accedit pro Societate Ieſu priuilegium quoddam omnes ſcrupulos in hac parte tollens, ſcilicet Gregorius XIII. in Bulla prima ipſius, quæ incipit, *Æquum reputamus*, quam aſſert Pater Franciſcus Amicus *tomò quinto de iuri. Et iur. diſputatione noua. ſeſſione decima. numero 148* Diana *tomò ſeptimo. tract. 10. miſcellaneo. * reſolut. 29.* conceſſit Societati, vt melius priuilegij aut indulti reuocatio præiudicet inſeruum ipſius Societatis, niſi ſit illi inſinuata, & inſinuata per trinas diſtinctas literas eundem tenorem continentes tribus diſtinctis vicibus, vt hanc conceſſionem intelligunt Antonius de Amatis, Flaminus Cherubinus apud ipſum Dianam. Vnde hi docent, derogationem priuilegiorum in ampliffima forma non præiudicare priuilegij Societatis, quia non cenſetur reuocatum priuilegium, dum non ſeruat forma, quæ ad eius reuocationem requiritur, & ſic decifum fuiſſe in Rota Prouinciæ Marchiæ affirmant.

4. Intimatio autem fieri debet, vel immediate ipſi Præpoſito Generali Societatis, qui eam reuocacionem per totam Religionem euulget, vel nomine Pontificis faciendâ eſt ab Ordinariis ad Superiores Societatis. Nec ſufficit ſi fiat in locis publicis, vt in Eccleſiis Cathedralibus, quia ea intimatio non fit Societati, vt Bulla exprimit; nec ſufficit ſi fiat per verba, aut vna vice, cum requiratur fieri per literas, & tribus vicibus. Et quamuis Gregorius XII. non potuerit limitare poteſtatem ſucceſſorum, ideoque hi valeant eius Bullam reuocare, dum verò per externa ſigna ſufficienter manifeſtatiua reuocacionis id non præſent, non cenſenda ſunt reuocata Societatis priuilegia; ſic verò, ſi ſufficientibus verbis denotetur, derogari huic Gregorij conceſſioni.

Sup. hoc pro-
calibus Pa-
palibus oc-
cultis in Ref.
1. not. prære-
ritæ, & in co-
dem §. ad
medium.

5. Jam ex his probatur assertum. Reuocatio priuilegij absoluenti Penitentes à referuatis Episcopo, non est intimata Societati tribus vicibus per litteras distinctas, eundem tenorem continentes, imò nec semel est intimata, vt omnes nostris fatentur, cum nullus eam audiverit. Deinde in reuocatione Urbani VIII. non reperiuntur verba sufficienter significatiua reuocationis nostri priuilegij, cum nec illud exprimitur, nec detur alia clausula specialis superaddita communibus, quæ solent apponi in litteris reuocatorijs, saltem in forma amplissima concessis, vt liquet ex ipso Urbani Decreto, restitur priuilegium Societatis absoluenti à referuatis Episcopo, neuiquam est reuocatum. Hucusque Pater Mendo.

6. Verùm non desinam hic etiam apponere verba Magistri Hinojola in *Directorio Decisionum Regularum*, verb. *Confessorius* fol. 109. vbi ita asserit: Item declaramus, felicitis memoriae Gregorium XIII. vni vocis oraculo, & etiam de Consilio Congregationis super Concilio Tridentino, declarasse, ac statuisse facultate, per mare magnum, & per alia priuilegia concessa, non posse regulares absolueri à casibus Episcopo referuatis. Et Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium de speciali mandato Sanctissimi Domini nostri Clementis VIII. iubet omnibus Confessorijs, tam secularibus, quam Regularibus, quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, & Societatis Iesu, ne quis eorum sub pretextu quorumcumque priuilegiorum à Sede Apostolica duorum, quibuscunque etiam singularibus personis, ab vilo ex casibus dubijs, vel clarè contentis in Bulla Cœnæ Domini, vel alijs Sedi Apostolicæ referuatis, nec etiam à casibus Ordinarijs referuatis, quocunque casu, nisi in mortis articulo, sine noua licentia à Sede Apostolica, vel ab Ordinarijs respectiue obtenta absoluentis beneficium impendere audeant. Quam licentiam à Sede Apostolica obtentam teneantur Ordinarij ostendere etiam sub pœna excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum, & inhabilitatis ad audiendas confessiones, & ad quæcumque officia, & Prælaturas ipso facto incurrenda, absque alia declaratione, &c. A quibus non nisi à Romano Pontifice absolutionem obtinere valeant, & quatenus opus sit Sanctitas sua tales facultates, nullas esse voluit.

7. Sed postea eadem Congregatio speciali mandato eiusdem Sanctissimi Domini nostri Clementis VIII. similiter vni vocis oraculo super ea re habito; ipsum decretum, ita moderatè, & declarat, etiam sub eadem prohibitione, eos tantum comprehendendi casus, qui in Bulla Cœnæ Domini legi conueniunt, ac præterea, violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregorij XIV. Violationis clausuræ monialium ad malum sueta continentur, ac præterea, violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregorij XIV. Iniuriam manus violentas in Clericos iuxta Canonem. *Si quis*, &c. ac iuris dispositionem, Simoniacæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficiæ. Item omnes casus, quos sibi Ordinarij locorum referuauerunt, ac in posterum referuauerunt. In quibus omnibus enumeratis casibus dumtaxat, & sublata etiam pœna inhabilitatis audiendi confessiones, eadem Sacra Congregatio vult, & mandat, dictum decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere. Et præterea declarat, eos Sacerdotes, tam seculares, quam Regulares, qui aliqui priuilegio in dicto decreto expressè suffulti fuerint, posse iuxta eorum priuilegia, inducta, & facultates, vsu ante idem decretum rece-

Tom. VII.

pta, & quæ sub alijs reuocationibus non comprehenduntur tantum, & non aliter absolueri à casibus in præfenti declaratione non comprehensis, alijs verò Sacerdotibus talia priuilegia non habentibus, nihil de nouo concedit.

8. Sed prædicta statuta, & declarationes, nihil impedire, quominus Fratres Ordinis, absolueri possint à prædictis casibus referuatis, ex eo constat, quia licet per vtrumque statutum reuocentur nostra priuilegia, quoad ea quæ in huiusmodi declarationibus continentur; iam verò nunc eadem nobis priuilegia restituta sunt per Sanctissimum Dominum nostrum Urbanum Octauum, vt dicemus, verbo, confirmatio priuilegiorum, & consequenter eorum facultate poterunt Prælati regulares in subditos, & Sacerdotes regulares expositi in Fratres, & seculares sibi concessa potiri. Ne tamen cæcus in præcipitum deturberis expedit maximè attentè considerare, quid possis per priuilegia, quid per illa concedatur, quid negetur, quid restringatur. Et hæc omnia docet Hinojola Dominicanus.

9. Et tandem nouissimè hanc sententiam docet etiam Pater Bruno Chassaing ex Ordine Patrum Minorum de *priuileg. Regular. part. 1. tract. 5. cap. 2. propo. 2.* sic asserens, Potest Sacerdos regularis absolueri à casibus, & censuris quas ordinarij sibi referuauerunt.

10. Obiicies, Sacram Congregationem Cardinalium præpositorum negotijs Episcoporum, ac Regularium, die 17. Nouembris 1628. declarasse, quod Regulares, tam in Italia, quam extra illam existentes, in vim suorum priuilegiorum post Tridentinum à Sede Apostolica confirmatorum, ac in futurum forsitan ab eadem Sede confirmandorum, non posse absolueri à casibus Episcopo referuatis nec ab illis qui in Bulla Cœnæ continentur, quoniam à Tridentino, à Congregatione, & à publicatione Bullæ in Cœna Domini solita fieri, sunt reuocata: Quam declarationem, vt fertur in decreto ab eadem Congregatione desuper emanato, Urbanus VIII. vni vocis oraculo approbavit, & mandauit, quæ ab omnibus ad quos pertinet, inuolubiliter obseruari.

11. Respondetur primò, sicut alijs decretis similibus respondimus, videlicet illam declarationem, seu decretum, esse sententiam Doctorum à Pontifice approbatam, quæ non magis obligat, quam sententia aliorum Doctorum, cum non sit lex, nec publicata ad modum legis, nec habeat clausulam reuocatoriam, quæ necessaria est, etiam in Pontificum Bullis ad dicta priuilegia reuocanda: alioquin non reuocant, vt diximus in *tract. de priuileg. in comm.* Et hæc maximè vera sunt in Gallia, vbi illa decreta non recipiuntur, vt etiam nouissimè die 15. Maij 1647. orante Talon aduocato Generali Regis Christianissimi die 10. eiusdem Mensis, illa recipi, & publicari à supremo Senatu Parisiensi prohibitum fuit.

12. Respondetur secundò, illud decretum emanatum fuisse, Regularibus minimè auditis, & confirmationibus priuilegiorum vultatenus exhibitis, & examinatis, nec vilo abusu eorundem, ac causa expressa cum de illis nulla prorsus fiat mentio in decreto; non est autem credibile, quod Patres illi Eminentissimi, tot laboribus, ærumis ac vigilijs parta priuilegia, nullatenus reuocata, vel si reuocata iterum confirmata, & reualidita, vno calami chyrographo, voluerint reuocare, & abrogare; cum nec Pontifex sine iusta, & rationabili causa id iuste possit, vt in proximè citato tractatu diximus, & tradunt Doctores de iure quæsito agentes, cuius generis sunt priuilegia huiusmodi.

Q. 1; Respon

§. Sed contrarium, nec medium & finem, verif. an Confessor Res. Regular. res.

12. Respondetur tertio, Illud decretum de subreptione, maxime suspectum existere, ac proinde non valere; Primo, quia supponit privilegia Regularium quoad facultatem absolventi à dictis casibus per Tridentinum, & publicationem Bullæ Cœnæ Romæ factam, & per alia eiusdem Congregationis decreta esse abrogata, cuius contrarium, iuxta communem sententiam DD. arbitrantium illam publicationem non sufficere; ac Tridentinum, & dictam Congregationem privilegia huiusmodi nullatenus abrogare, alibi probavimus.

13. Secundo. Quoniam declarat, quibusvis confirmationibus post Tridentinum decreta eiusdem Congregationis, & publicationem Bullæ à Sede Apostolica emanatis, dicta privilegia nullatenus valere; quod stare non potest cum iuris communis dispositione, iuxta quam in dicto tractat. de privileg. in comm. ostendimus esse valde confirmata. Accedit, quod Congregatio ignorans illas confirmationes, sicut & Papa, cum sint iura specialia, minimè potest declarare in vi illarum confirmationum, non valere huiusmodi privilegia.

14. Tertio. Quoniam Sacra Congreg. necnon etiam Papa Urbanus, qui dicitur hoc decretum confirmasse fecisset contra regulam à se editam, qua decernitur quod per quamlibet constitutionem Apostolicam non tollitur ius quæsitum (ut sunt privilegia) nisi prius vocatis quorum interest, eisque auditis, & contradicentibus. Quod idem Pontifex in alio casu observavit, ut alibi dicitur, cum tollendo quibusdam Regularibus aliquod privilegium per respectum ad aliquam personam in dignitate Episcopali constitutam, clausulam reuocatoriam illius regulæ adhuc buit.

15. Quarto. Quia declarat, nullis futuris confirmationibus à Sede Apostolica emanandis reuolventibus, & confirmanda fore, quod quomodo intelligendum sit penitus ignoro, nisi per illud decretum potestas Pontificis, & iuris dispositio abrogentur, quod nemo affirmare audebit. Nam quæro, num si Papa motu proprio, ac ex certa scientia, & de potestatis Apostolicæ plenitudine, cum clausula reuocatoria Trident. & Bullæ Cœnæ privilegia illa confirmaret, valida essent? Absque dubio responderetur esse valida, etiam si antea reuocata, ergo illa declaratio Congregationis quod valida non esset, etiam si à Sede Apostolicæ confirmarentur, subsistere non potest. Vnum dici potest, hoc decretum affirmare, quod præcedentibus privilegiorum confirmationibus, & similibus in futurum non subsistunt privilegia. Sed hoc in idem inconueniens, quod supra. reuoluitur, nam, ut dictum est, præcedentes confirmationes iuxta iuris regulas valent; Ergo proculdubio similes in futurum emanandæ valerent. Et hæc omnia asserit Bruno loco citato, quæ caute legenda esse puto, & sententiam supradictorum Auctorum prorsus repellendam esse existimo, & ne audeant Regulares illam ad praxim deducere. Ad privilegium verò, quod ex me adducit Pater Mendo loco citato, satis ego respondi in resolutione de hac materia contra nostrum Patrem Vidalem impressâ in mea part. 9. ad quam Lectorem relego.

16. Non deferam tamen hic adnotare, Sanctissimum Dominum nostrum Urbanum litteris datis sub 5. Nouembris 1631. occasione accepta quod multæ Religiones haberent privilegia, quod in constitutionibus generalibus à Sede Apostolica editis, vel edendis, non comprehenderentur, nisi de eis specialis, specifica, indiuidua, seu expressa mentio fieret, declarauit, quod Constitutiones Apostolicæ editæ in concernentibus fidem Catholicam, & S.

Inquisitionis Officium, ac constitutiones, dispositiones, & ordinationes edendæ tam per ipsum, quam per Romanos Pontifices successores, tam circa prædictam materiam, quam super quacunque alia re, negotio, seu materia, comprehendat omnes Regulares quomodolibet privilegiatos, nisi specialiter, & expressè excipiantur, etiam ipsi fuerint magis specialiter nota, & expressione digni, eisque privilegia, gratiæ, & indulta à Sede Apostolica præfata etiam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogationibus, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac conditionibus, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, ac de potestatis plenitudine similibus, & consuetudinaliter, etiam contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ concessionis, quam communicationis, & alias quomodolibet concessa respectu huius. Vnde ait Lezana tom. 4. ver. privileg. Regul. nam. 70. 21. iam his temporibus cessant multa, quæ de privilegiis Regularium habentibus similes clausulas scribit Casfaribus, Corluba, Rodriguez, Miranda, Sorbus, Portellus, Ioannes de Cæce, quibus ego addo nouissimè Patrem Brunum in toto hoc suo opere de privilegiis Regularium. Nota quod post hæc scripta inuenio Urbanum ab Ascensione in sua Theolog. Mor. tractat. 2. dist. 1. cap. 1. Regul. fol. 218. non obstantè decreto Sacræ Congregationis, & Urbani VIII. docere hodie Regulares posse absolueri à casibus Episcopo referuatis, sed ut superius dixi, contrariam sententiam practicandam esse puto.

RESOL. CCLXXII.

An hodie post Decretum Urbani VIII. die 27. Nouembris 1628. possint Regulares absolueri à casibus Episcopo referuatis?

Et insertur, an ut leges Pontificiæ obligent in toto orbe, necessarium sit, ut publicentur in omnibus Diocesis, & Prouinciis?

Et docetur, quod in generali derogatione privilegiorum non comprehenditur privilegium insertum in corpore iuris communis si non fiat eius specifica derogatio. Ex p. 9. r. 6. & Misc. 1. Ref. 50. alias 51.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Quintanadueñas in Theol. mor. tom. 1. r. 3. sup. 14. Probatur hæc opinio: quia sicut lex non obligat ante suam publicationem; sic nec reuocatio privilegiorum quæ est quedam lex, ut docent Suarez de legib. c. 4. Salas d. 17. sect. 1. n. 8. Bonacina de priuileg. d. 1. q. 3. par. 8. n. 20. & Doctores; sed hæc non est sufficienter probata, nec intimata: ergo, &c. Maior est certa. Minor probatur, primò: quia, ut leges Pontificiæ (talibus hæc est) obligent in toto Orbe, necessarium est, ut promulgentur in omnibus Diocesis, & Prouinciis, ut allegant Serarius, Toletus, Sà, Medina, Angelus, Sotus, Conradus, Miranda, Victorius, & alij, quos citat, & sequitur Trullench. in Cruc. l. 1. §. 7. d. 9. n. 20. & præsertim hoc locum habet in legibus reuocatoris privilegiorum, ut notant Sotus lib. 3. de iust. q. 2. art. 4. Medina 2. q. 21. art. 4. & plures, quos asserit, & sequitur Ludou. à Cruce d. 1. Cruc. c. 1. d. 13. n. 1. Cum ergo hæc reuocatio in Diocesis non sit promulgata, ut Sapietes & locorum Ordinarij fatentur, non obligat in illis.

2. Nec Religiosos obligat hæc lex cum ex doctrina Azorij tom. 1. l. 5. c. 22. q. 7. Bonacinae sup. n. 24. Salas d. 20. sect. 18. n. 126. & aliorum Doctorem, ut reuocatio privilegij concessi Ciuitati, Communitati, Collegio, vel Religioni alicui, obliget, debet denuntari, vel notificari ipsi.

In part. 9. nihil author dixit contra Vidalem, sed in part. 10. in Ref. quæ hic est supra R. 268. & in aliis eius annot. Et pro contento in §. vi. huius R. in 10. p. 11. 7.